ARLT reading competition 2017 Intermediate and Senior

Virgil Aeneid 1 187-209

cōnstitit hīc, arcumque manū celerēsque sagittās
corripuit, fīdus quae tēla gerēbat Achātēs;
ductōrēsque ipsōs prīmum, capita alta ferentēs
cornibus arboreīs, sternit, tum vulgus, et omnem
miscet agēns tēlīs nemora inter frondea turbam;
nec prius absistit, quam septem ingentia victor
corpora fundat humī, et numerum cum nāvibus aequet.
hinc portum petit, et sociōs partītur in omnēs.
vīna bonus quae deinde cadīs onerārat Acestēs
lītore Trīnacriō dederatque abeuntibus hērōs,
dīvidit, et dictīs maerentia pectora mulcet:
'ō sociī (neque enim īgnārī sumus ante malōrum)
ō passī graviōra, dabit deus hīs quoque fīnem.
vōs et Scyllaeam rabiem penitusque sonantēs
accēstis scopulōs, vōs et Cyclōpea saxa
expertī: revocāte animōs, maestumque timōrem
mittite: forsan et haec ōlim meminisse iuvābit.
per variōs cāsūs, per tot discrīmina rērum
tendimus in Latium; sēdēs ubi fāta quiētās
ostendunt; illīc fās rēgna resurgere Troiae.
dūrāte, et vōsmet rēbus servāte secundīs.'
tālia vōce refert, cūrīsque ingentibus aeger
spem vultū simulat, premit altum corde dolōrem.